

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica rogate

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA ROGATE.

Evangelium, Ioh. 16. v. 24. - 30.

EXORDIUM.

CUm Israëlita aquæ inopia in solitudine laborarent, & propterea adversus Moſen & Aaron murmurarent: Moſes & Aaron à facie multitudinis in tabernaculum conventus ingreſſi, corruerunt proni in terram. Et apparuit gloria Domini ſuper eos. Locutusque eſt Dominus ad Moſen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque e-duxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus. Tulit igitur Moſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, cumque elevaſſet Moſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ: ita, ut populus biberet & jumenta, Num. 20. v. 1. ſeqq.

Nos quoque Dilecti! in eremo hujus mundi erramus, & multa adverſa ſuſtinemus, quo ita ſæpe deſaſſamur, ut pene ſiti pereamus, in terra arida & ſiticolosa, Plal. 63. v. 2.

Verum ſicut Moſes in aquæ inopia, virga ſua petram percuffit, & aquam adeo largiter elicit, ut multitudini & jumentis illa ſuffecerit: Ita non ſalutarius medium eſt, ſi ad pacem, cum Hiſkia, amaritudo nobis amara, Eſa. 38. v. 17. quam ut ad veram petram, & lapidem ſalutis noſtræ, Chriſtum

Jeſum nos convertamus, qui per petram in deſerto præfiguratus eſt, 1. Cor. 10. v. 5. Petram illam virga percutiamus oportet, h. e. apud Majeſtatem divinam fideli & devota oratione inſtemus, & januam cæli pulſemus, ut Chriſtus admonet, Matth. 7. v. 7. ita petra illa, aquam largiſſime ſtillabit, qua ſufficienter confirmati, quoad corpus & animam, ad vitam æternam reficiemur. Omnes enim, qui reſpexerunt, facies eorum non ſunt confuſæ, Pl. 34. v. 6.

Ad hoc ipſum Servator in prælecta Pericope nos exſtimulat, quando gemino juramento adſeverat, quod omnes, qui in nomine ſuo petiverint quicquam, non fruſtra oraturi, ſed inſallibiliter exaudienti ſint.

Videbimus nos pro conſuetudine

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegeſis.

Sicut Chriſtus unus ille Mediator Dei & hominum eſt, 1. Tim. 2. v. 5. ita etiam unus ille ſummus Sacerdos eſt, qui torcular itæ divinæ ſolus calcavit, Eſa. 63. v. 2. & per ſanguinem hircorum & vitulorum æ-

ter-

ternam redemptionem invenit, Hebr. 9. v. 12. Est quoque unus ille Magnus Propheta, in mundum venturus, Deur. 18. v. 15. Unus quoque Rex, qui adversus omnes hostes nostros nobis præsidio est, hinc dicitur ibi: Vere in Domino Deo nostro, salus Israel, Jer. 3. v. 23.

Interea nos quoque eum in finem lavit à peccatis nostris, in sanguine suo, fecit que Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo, Apoc. 1. v. 6. Sicut igitur ante octiduum Cantate in sonuimus, & ex illo Evangelio didicimus, qua ratione ex instructione Spiritus sancti, ministerium in Ecclesia ob-eundum sit, nempe opportune importune arguendo, increpando, exhortando in omni longanimitate & doctrina, 2. Tim. 4. v. 2. Ita hodie ad preces instigamur, quæ sedulo urgenda sunt, nisi labor noster inanis in Domino esse debeat, 1. Cor. 15. vers. 15. Quia enim mundus, tanquam sponsa Diaboli, variis technis & machinationibus hoc Cantate interturbare satagit, dum Christianos infestat & angit, & eo efficit, ut in salicibus suspendant organa sua, Psal. 139. v. 2. opus erit, ut devota oratione nos muniamus, eamque tanquam suave thymiana, velut spirituales Sacerdotes, Domino in odorem suavitatis, mane & vesperi adoleamus, id gratum atque acceptum erit illi. Ideo spiritualis Ecclesiæ Mater eam vocat Vocem Jucunditatis, quæ in cælum ascendens, Dei gratiam impetret, ut vicissim respondeat per vocem Jucunditatis, dicens: Non te deseram, neque derelinquam, Heb. 13. v. 5. Psal. 91. v. 14. 15. 16.

Querela respicit

1. *Orationis negligentiam.* Discipulis suis Christus exprobrat, quod hæcenus nihil

quicquam petiverint in nomine suo. Id quidem diversimode explicatur, ut alio tempore indicatum est: interim facile apparet, Christum in discipulis suis reprehendere, quod hæcenus non tam frequenter & ardentè oraverint, ut ipsa officii ratio flagitasset. Quia enim cum Christo nulla inopia laborarunt, facile patet, quod & orationi tam sedulo non invigilaverint, ut æquum fuisset, si quidem ipsos quoque infirmitatibus suis laborasse, palam est.

Hodie Epicureorum tanta turba est, ut ne Filii hominis ad judicium veniens parum fidei in terra inventurus sit, metuentum sit, Luc. 12. v. 8. Multi orationem non modo malitiose & præpostere intermittunt: sed & diris execrationibus nomine Dei impie abutuntur, ut vel ipsa experientia satis probat.

Hoc vero caveamus, nec ullis negotiis à piis precibus averti nos patiamur, multum enim valet deprecatio justii assidua, Jac. 5. vers. 17.

Quilibet verus Christianus per Christum amicus Dei effectus est, chirographum enim deletum est, quod adversum nos erat, Col. 2. v. 14. Ut jam pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. 5. v. 1. Sicut igitur amicus amicum sedulo invisit, aut si locorum intervallo se juncti sunt, per internuncios & literas se mutuo salutant, quo omisso, amicitia cum tempore expirat: Ita Oratio familiare cum Deo est colloquium, uti Davidi appellatur, Psal. 19. v. 17. Quod si igitur Christi amici & Dei amatores esse cupimus, orationem non omittere, sed rogando Deum obrundere tenemur, Luc. 18. v. 5. & ad eum confuere, Psal. 34. v. 6. Idi-

plum

plum cum desiderio expectat, eique volupe est, si sonet vox precatationis nostræ in auribus ejus, Cant. 2. v. 14.

Quilibet Christianus est spiritualis Sacerdos, 1. Petr. 2. v. 9. talis per Christi sanguinem initiatus est, Apoc. 1. v. 6. Sicut igitur in V. T. quilibet Sacerdos constitutus erat, ad dona & sacrificia offerenda, Hebr. 5. v. 1. ita nos quoque spiritualia sacrificia orationis Deo offeramus, dicentes cum Davide: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum, Psal. 141. v. 2. i. e. fructus labiorum confitentium nomini ejus, Hebr. 13. v. 14.

Quilibet Christianus, est DEI templum & habitaculum, Joh. 14. vers. 23. 1. Cor. 3. vers. 17.

Sicut igitur Israëlita orationem suam in templo Hierosolymitano, aut è Regione ejus & ad idem se convertentes, fundebant, Dan. 6. v. 10. 1. Reg. 8. v. 44. 49. Luc. 18. v. 10. unde etiam domus orationis vocatur, Esa. 56. v. 7. Matth. 21. v. 13. Ita nos quoque in oratione assiduos esse conveniet, si templum cordis nostri gloria Domini, ut Salomonis templum implevit, implere debeat, 1. Reg. 8. v. 11.

Quia igitur officii nostri ratio postulat, ut in oratione frequentes simus, non negligamus eam, ne Christo aniam de nobis conquerendi demus, sicut hic de discipulis suis conquestus est. Id vero non expedit nobis: Quia enim venit & locutus est nobis, excusationem non habemus, ignorantiam nostram excusandi, Joh. 15. v. 22.

II. Cordis prophani dissidentiam, quod de exauditione dubitat, aut omnipotentia

divina diffidit. Magna hæc aberratio est, quæ orationem plane ineptam, & in peccatum facit, Psal. 109. v. 7. Quod enim non ex fide est, peccatum est, Rom. 14. v. ult. Propterea mandat hic Christus, ut in nomine suo petamus, h. e. in vera fiducia omnipotentia, quod possit, misericordia, quod velit, & veritatis, quod promiserit juvare, siquidem ipse frater noster est, Hebr. 2. vers. 17. & potens est facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, Eph. 3. v. 20.

Fides & dubitatio a deo non unà consistere possunt, sicut nec Christus & Belial, lux & tenebræ, 2. Cor. 6. v. 14. Fides enim certa *ὀπίσθεσις* est, qua firmiter niti possumus. Hebr. 11. vers. 5. Ubi vero dubitatio in corde, ibi titubamus & vacillamus, nec difficile Diabolo est, nos plane confundere, & à verbo Dei avertere, sicut exemplo Protoplastorum patet, Gen. 3. vers. 3.

Hæc dubitatio in oratione quoque locum habere nequit: puræ enim manus ad Deum elevandæ sunt, 1. Tim. 2. v. 8.

Errant igitur Papicolæ, dum dubitationem velut singularem virtutem venditare amant, ideo fiduciam, quam in misericordia Dei & merito Christi ponimus, vanam & ab omni pietate remotam fiduciam appellitant. Verum sine fundamento! Promissio siquidem manifesta est, ideo firmiter ea niti possumus: Deus enim dixit, cujus verbum rectum est, & omnia opera ejus in veritate, Ps. 33. v. 4. Nec modo dixit, sed & Sacramentis confirmavit, quæ nihil aliud sunt, nisi signacula justitiæ fidei, Rom. 4. v. 11.

Quando terrenus aliquis Princeps in li-

n n teris

teris aliquid permittat, quod manu ejus confirmatum videmus, promissioni ejus fidimus, etsi sigillum appositum cernimus, eo minus fidem derogamus. Jam vero Deus non nudis verbis gratiam suam promisit, sed & promissionem illam Sacramentis obsignavit, & ad majorem certitudinem, spiritum Sanctum cordibus nostris indidit, qui est ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, Eph. 1. v. 14. & signat, quod Deus verax est, Joh. 3. v. 33. Qui vero nondum credit, mendacem Deum facit, 1. Joh. 5. v. 10. & grave illi erit contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 6.

III. *Dilatata exauditionis impatientiam*, quæ valde frequens est. Licet enim Deus verax sit, & jam ante sciat, quibus indigemus, Matth. 6. v. 32. nulla quoque oratio in terris fundetur, quam non ipso illo momento in cælo percipiat: attamen exauditiō non statim ad libitum nostrum sequitur, quam tamen hic Christus duplici juramento promittit: sed non definit tempus, quando exaudiendi simus; id enim Pater posuit in potestate sua, Act. 1. vers. 7.

Nos homunciones vero has horas & moras Dei non expectare possumus, sed inique ferentes, non raro orationem intermittimus. Quid ais, orem? omnia frustra sunt: Deus cælum oppellulavit, & quasi lapidibus quadris concludit, ut oratio non penetret, Thren. 3. v. 9. Verum absit, ut idem dicamus: non enim est iste sermo, qui misericordiam provocet: sed potius qui iram excitet, & furorem accendat, Jud. 8. v. 12. potius instemus cum Cananæa Matth. 15. v. 22, & dicamus cum Jacobo:

Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, Gen. 32. v. 26.

Olim quoque Deus, quasi exaudire nollet, se exhibuit: Audi conquerentem Job. 30. v. 21. Davidem: Exurge, quare obdormis Domine? expergiscere, & ne repellas in finem, Psal. 44. v. 24. confer Psal. 79. v. 5. Psal. 80. v. 2. Psal. 85. v. 6. Esaiam: Ne irascaris Domine adeo vehementer, & ne semper memineris iniquitatis nostræ, Esa. 64. v. 9. Idem Filio Dei ipsi accidit in monte Oliveti clamanti: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, Matth. 26. v. 39. Verum cælum occlusum erat, ut de novo quiritaretur: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. vers. 46.

Sed tandem cum auxilio præsto fuit, & quidem ita, ut idem magnum gaudium excitaverit, ut exempla memorata probant. Quia non repellit in sempiternum Deus, etiam si affligit, & c. Thren. 3. v. 31. seqq.

Quod si igitur differt exauditionem Deus, noli indignari, habet enim causas suas, ob quas faciat:

1. *Respectu tui*: Ostim enim ideo clausum est, ut tu pulsare cogaris, ut Chrysostomus loquitur: Domine, in angustia requisierunt te: meditatio, quando eos castigas, Esa. 26. v. 16.

2. *Respectu sui*, quo auxilium suum magis commendat, & eo plus prædicetur. Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ, desiderium veniens, Prov. 13. vers. 12.

3. *Respectu proximi*, ubi semper aliqui ad penitentiam invitantur, & conservantur:

tur:

tur, quod si enim hostes uno impetu dele-
rer, ut sæpe precamur, nemo salvaretur. Id-
eo dissimulat peccata hominum propter
pœnitentiam, Sap. 11. v. 24. Id gratiæ & pa-
tientia ejus acceptum feratur. Non enim
delectatur in perditionibus nostris: sed vult
omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 2.
vers. 9.

Ideo probè id meminerimus, indefi-
nenter orantes, licet non ex tempore ex-
audiamur, 1. Thess. 5. v. 17. Bonum est cum
silentio præstolari salutare Dei, Thren. 3.
v. 26. Veniens veniet, & non tardabit, Hab.
2. v. 3.

De Secundo.

Sequitur Medela, quæ fluit
1. Ex Christi jussu. Christus enim
ipse nos petere jubet: hæc magna est
gratia.

Magnates terreni sæpe aditum interclu-
dunt nobis, quo minus causam nostram
audiant, sed Rex cæli ipse nos ad oran-
dum invitat, & exauditionem pollicetur,
neminem enim ad se venientem, foras eji-
ciet, Joh. 6. v. 38.

In V. T. magna dignitas fuit, quod Mo-
ses in tabernaculum ingredi, & Deum in
rebus dubiis consulere potuit, Num. 12.
v. 8. Verum in N. T. hæc dignitas omnibus
Christianis communis est, ut mediante o-
ratione, cum fiducia ad thronum gratiæ
adire possint, ut misericordiam consequan-
tur, & gratiam inveniant, in auxilium o-
portunum, Hebr. 4. v. ult.

Sicut igitur in mundo nihil jucundius
est, quam si cum amico fideli colloquaris,
& in sinum ejus cordis tui desideria effusa

das, quod certissimum refrigerium affert
afflictis, ut exemplo Davidis & Jonathi
patet, 1. Sam. 18. v. 1. 3. Ita hoc Christiano
certissimum solatium adfert, quod per pre-
ces cum Deo colloqui & cordis sui affli-
ctionem ei exponere possit. Est enim ami-
cus noster constantissimus, qui omnibus
amicis dilabentibus solus fidelis perseverat:
& in finem diligit suos, Joh. 13. v. 1. Dica-
mus igitur cum Assaph: Mibi adhærere
Deo bonum est, ponere in Domino Deo
spem meam, Psal. 73. v. 82.

Maxime ubi spectamus maximas angus-
tias & pericula, quæ undiquaque à dextris
& sinistris nobis imminet, ut lamentan-
dum nobis eum Paulo: Intus pavores, foris
pugna, 2. Cor. 7. v. 6.

Ante nos habemus mundum totum in
maligno jacentem, 1. Joh. 5. v. 19. qui nos o-
dit, Joh. 15. v. 19.

Juxta nos est Diabolus infensissimus ad-
versarius noster, ut Leo, die nocteque cir-
cumiens, quærens, quem devoret, 1. Petr. 5.
vers. 8.

In nobis caro nostra corrupta, quæ ad-
versus spiritum concupiscit, ut bonum
quod vult, non faciat, Gal. 5. v. 17.

Post nos mors inevitabilis, nemini par-
cens, unde ultimus inimicus dicitur, 1. Cor.
15. v. 26.

Infra nos infernus, qui aperit os suum, ad
devorandum nos, Esa. 5. v. 14.

Sicut igitur miles in acie stans, armatu-
ram suam non deponit, sed armis probe in-
structus hostem præstolatur: Ita nec nos
spiritualem orationis armaturam projicia-
mus, sed die nocteque hostibus nostris in
illa obviamus, quo omnibus perfectis stare
possimus, Eph. 6. v. 13.

II. *Ex orationis fructu.* Petite, ait Servator, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Hoc intelligendum est.

1. *De bonis temporalibus.* Licet enim illa cum conditione certa petenda sint, si nimirum Dei voluntas sit, nobisque expediat: tamen verum est illud Augustini: Semper exaudie Deus preces nostras, si non ad nostram voluntatem, tamen ad nostram utilitatem. Unde Servator ipse in precatio- ne sua nos jubet petere panem quodidia- num, quo omnia intelliguntur, quæ ad cor- poris victum & necessitatem pertinent. Ubi enim devote & fideliter oraveris, im- petrare potes, si Deo utile videatur, cibum & potum, ut Elias, 1. Reg. 19. v. 6. recupera- bis sanitatem, ut Hiskias, Esa. 38. v. 2. seqq. consequeris mitigationem pœnarum, ora- tio enim quasi murus est, quo ad rupturam stas, Ezéch. 22. v. 30. præsidium ad ver- sus hostes: Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero, Psal. 118. v. 4. provectam ætatem: Vitam petiit à te, & tri- buisti ei longitudinem dierum in seculum, Psal. 21. v. 5.

2. *De bonis spiritualibus.* Per orationem enim impetrari possunt, remissio peccato- rum, ut Manasse, & publicanus, Luc. 18. v. 13. incrementum fidei, Luc. 17. v. 5. fugatio Diaboli, Matth. 17. v. 21. & verbo: Spiritus sanctus, Luc. 11. v. 13. qui est unctio, omnia nos docens, 1. Joh. 2. v. 27.

3. *De bonis æternis.* Quicumque enim invocaverit nomen Domini, salvus erit, Rom. 10. v. 13.

Breviter: Oratio est organum organo- rum, ut Chrysostomus eam vocat, qua quæ ad sustentationem præsentis, & consecu-

tionem æternæ vitæ pertinent, indispici possumus. Si duo ex vobis consenserint su- per terram: de omni re quamcunque pete- rint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est, Matth. 18. v. 19.

III. *Ex Patris affectu.* Ipse Pater amat vos, ait Christus. Quæ sententia auro con- tra cara est: cujus accurata meditatione effi- cax sentiemus solatium.

Amor alias sedem suam in corde habet, è corde prorumpit per oculos, & cum, quem benevolentia complectitur, amico obtutu salutat: exierit se per os, compellans eum blandis verbis: elucescit per variâ hu- manitatis officia, quæ ipsi exhibet. Hæ quatuor proprietates sunt, quibus dilectio prædita sit oportet, si sincera esse debeat, sicut Deus exemplo suo hac in re præluceat nobis.

Quæritur cor ejus? Amore illud erga nos incensum est. Os. 11. v. 8. seqq.

Quæritur oculos? Oculi ejus aperti sunt, super omnes vias filiorum hominum, Jer. 32. v. 19. Imprimis vero inspectio in electis ejus est, in quibus gratia & misericor- dia ejus est, Sap. 3. vers. 9. Psal. 33. v. 18. 19.

Interrogas verba ejus? Respondet Da- vid: Desiderabilia sunt super aurum, super aurum obrizum: & dulciora super mel, & favum, Psal. 19. v. 11. audire enim facit labia electa, Zeph. 3. & bonæ spei facit filios suos, quoniam dat locum in pecca- tis pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19. Hinc clamant Revertère averfatrix Israël, Jerem. 3. vers. 12.

Inspicis opera ejus? & illa nil nisi amo- rem & misericordiam spirant. Creavit e- nim nos ad imaginem suam, Gen. 1. v. 27. & adhuc hodie omnes plasmant in utero. Job.

roy. 8. extrahit nos de ventre, Psal. 22. v. 10. dans omnibus vitam & inspirationem, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus, Act. 17. v. 28.

Adhuc hodiè est nobis in Patrem, ut præsidium & tutelam, abundantiam, vitam & benedictionem ab eo hauriamus, 2. Cor. 6. v. 18. Tandem nos perduceret in gaudium cœleste, quod nobis, & omnibus electis à constitutione mundi paravit, Matth. 25. v. 34.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus continetur Regulis, quarum

1. *Patrem ritè invoca.* Id Christus docuit, non modò in Oratione Dominicâ: sed & in Exordio hodierni Evangelii, ubi inquit: Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Nomen Patris cor ferit, quo Deum facile ad commiserationem movere possumus, ut dicat: Conturbata sunt viscera mea super te, miserans miserebor tui, Jer. 31. v. 20.

Exemplum capite à parente corporali, si is filio succenset, ut eum à conspectu tuo propellat: simulac filius venit, & clamat: Pater! cor suum paternum celare nequit, ut parabola de filio prodigo probat, Luc. 15. v. 18.

Eodem modo Deus cœlestis Pater, nobiscum agit, Non enim in perpetuum irascetur, neque in æternum retinebit iram, Psal. 103. v. 9. sed quando eum compellamus: Domine, Pater noster es tu, Esa. 64. v. 8. exardent miserationes ejus, ut non fa-

ciat furorem iræ suæ, Os. 11. v. 8. sed gratiam justitiæ præferat, & in mediis tribulationibus reminiscatur miserationum suarum, & misericordiarum, quæ à seculo sunt, Psal. 25. v. 6.

Imperator Augustus à Messalâ pater patriæ salutatus, tantam inde læticiam cepit, ut per omnem vitam suam, non majori se voluptate affectum, dixerit. Quoties orationem Dominicam precamur, Deum præclaro illo titulo insignimus, quod eum Patrem nostrum appellamus. Id aded ipsi arridet, si ex fideli corde proficiscatur, ut nō possit non exaudire & juvare nos. Quis ex vobis patrem petit filius panem, nunquid lapidem dabit illi? Luc. 11. v. 11.

Sed ut filios probos decet, geramus nos, & in timore converseremur incolatus nostri tempore æquum erit, 1. Petr. 1. v. 17. Ne conqueratur Deus: Væ filiis perditis! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, averti sunt retrorsum, Esa. 1. v. 4.

Requiritur hîc

1. *Reverentia.* Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Mal. 1. v. 6.

Honoremus autem eum, juxta admonitionem Siracidis, in opere, & sermone, & patientiâ, cap. 3. v. 9.

1. *In opere.* In hoc, inquit Christus, clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, Joh. 15. v. 8. Nudum Domine, Domine, dicere non sufficit, Matth. 7. v. 21. sed Deus populum requirit, zelum bonorum operum, Tit. 2. v. 14.

2. *In sermone.* Ne sanctissimum nomen ejus blasphemando & jurando in vanum

adhi-

adhibeamus, ut in hâc mundi fece nihil familiarius est: sed confiteamur coram hominibus, Matth. 10. v. 32. 1. Petr. 3. v. 16. Proque beneficiis innumeris, quibus quotidie fruimur, gratias agamus, Psalm. 92. v. 2.

3. *Inpatientia*, quando nimirum ut Pater castigat nos, & corripit, Prov. 3. v. 12. idque pro ratione delicti. Ubi primò utitur virgâ hominum, 2. Sam. 7. v. 14. castigans nos in iudicio, ne videamur nobis innoxii, Jer. 30. v. 31. quod si verò frustra percutit nos, disciplinam non recipientes, Jer. 2. v. 30. defatigatur misereri, Jer. 15. v. 6. percutiens nos castigatione crudeli, Jer. 30. v. 14. aut prehensa virgâ ferreâ, Apoc. 12. v. 5. confringit capita filiorum minus obsequentium: verticem capilli perambulantium in delictis suis, Psal. 68. v. 22. At eò ne res redeat, caveamus: sed quando incipit castigare, continuò per pœnitentiam castigationem ejus prævertamus, & nunc pœnitebit super malo, Joel. 2. v. 13.

2. *Obedientia*. Deus enim honoravit patrem in filiis: & iudicium matris exquirens, firmavit in filios, Sir. 3. v. 1. Idem nobis quoque dictum est, 1. Sam. 15. v. 23.

3. *Confidentia*. Qui enim hæsitat, inconstans est in omnibus viis suis. Non ergò existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino, Jac. 1. v. 7. & quare dubitemus? Oramus quippe, Patre jubente, Pl. 50. v. 15. Fratrem instituentem, Matth. 6. v. 10. Spiritu sancto impellente, qui adjuvat infirmitatem nostram, Rom. 8. v. 28. & clamat in cordibus nostris, Abba Pater, Gal. 4. v. 4. unde Spiritus precum dicitur, Zach. 12. v. 10. Adde gravissimum juramentum Christi, in præsentem Evangelio. Sicut igitur

aliàs omnis controversia finis juramentum est, Hebr. 6. v. 16. ita omninò confidamus, quicquid in nomine ejus petierimus, fore Etiam & Amen. 2. Cor. 1. 20.

II. *Nomen Christi honora*. Christus enim in nomine suo petentibus certissimam exauditionem promittit. Jam vero in nomine Christi precati est,

1. *Intelligenter orare*: Ut in oratione tuâ agnoscas & confitearis, Christum esse *Advocatum*, unicum illum Advocatum apud Deum, 1. Joh. 2. v. 1. Qui semper est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

In Papatu, non in solius Christi, sed Mariæ nomine orant, unde in Mariali: Peccator es? Ad Mariæ nomen confugas, ipsum solum ad medendum sufficit. Sicut enim nomen JESU secundum Bernhardum est mel in ore; ita etiam nomen Mariæ est, & aliquid amplius, si dicere audeamus. Hæc nefanda idololatria est: idèò Servator ait: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Maria enim opitulati nequit. Idèò ait illa ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite, Joh. 2. v. 5.

2. *Decenter orare*, juxta Dei mandatum & promissionem, non arbitrium nostrum. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia, quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, 1. Joh. 5. v. 14. Hoc nisi fecerimus, locum habet illud Jacobi: Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis, Jac. 4. v. 3.

3. *Confidenter orare*. Christus enim unus homo in gratiâ est, Rom. 5. v. 15. de quo Pater cœlestis clamavit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. 3. v. ult. in quo velut dilecto, gratificavit nos
Deus,

Deus, Eph. 1. v. 6. qui in illum credit, non confundetur, Rom. 10. v. 11. quia quasi in decore sacerdotali Deo appropinquat, Psal. 110. v. 3. Et non modò nomen Jehovah, tanquam Aaron in fronte gerit, Exod. 28. v. 36. sed idem in corde sculptum habet, nec in alio nomine confidit, quàm in nomine Jesu, certâ spe fretus, Deum Patrem preces suas exauditurum, propter Dominum, Dan. 9. v. 18 quem nobis ipse proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25.

III. *Exauditionem spera.* Propterea Servator ait: Amen, Amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hic requiritur salvifica fides, quam vel maximè oculi Domini respiciunt, Jer. 5. v. 3. & sine illâ impossibile est, placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Oraturi igitur, non oculos duntaxat corporales ad cælum elevemus; quod & hypocritæ faciunt: sed potissimum oculum fidei, quo cor divinum introspicimus, & deprehendemus, illum multò propitiorem esse ad dandum, quàm nos ad accipiendum, ut Taulerus dixit. Nam lætatur ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 41. Certi itaque de exauditione esse possumus, quando intuemur

1. *Veritatem promittentis.* Erit antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam, Esa. 65. v. 24. Hæc non hominum verba sunt, quæ fallere possunt: Profectò filii viri sunt mendacium, Plal. 62. v. 10. sed verba immutabilis Dei, qui non mentitur, Tit. 1. v. 2. Luc. 21. v. 33.

2. *Potestatem facientis.* Præ multitudinem enim fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26,

Terreni Magnates non semper opem ferre possunt, ut vel ex propriâ confessione Regis Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12. Hiskia, Esa. 37. v. 3. Joram, 2. Reg. 6. v. 27. constat.

Ejusmodi impotentem Deum nos non habemus, qui in calamitatibus opem ferre nequeat. Sed est Dominus, qui loquitur & facit, Ezech. 17. v. ult. Manus ejus abbreviata non est, Esa. 59. v. 1. sed quæcunque promisit, potens est & facere, Rom. 4. v. 21.

3. *Gratiam dirigentis.* Mittit enim Spiritum sanctum in corda nostra, qui preces nostras supplices Cancellariæ cœlesti insinuat, majori cum autoritate, ac nos ipsi potuissimus. Iccirò Apostolus emphatica vocula *ἰπερευχόμενος*, i. e. plusquam intercedit, eminenter postulat, utitur. Seipsum enim, ut Ambrosius explicat, super orationem nostram quasi effundit, ut ignorantiam & temeritatem, quæ precibus adhæret, & coram Deo ingratos reddit, contegat. Quia igitur Spiritum sanctum non modò opitulatorem sed & Advocatum habemus, ita nobis viam aperiet, ut facile quicquid oraverimus, impetraturi sumus: est enim ejusdem essentia cum Patre & Filio, 1. Joh. 5. v. 7.

Ecce! hic ita funiculus triplex est, qui difficile rumpitur, Eccl. 4. v. 12. & quando verâ fide hanc apprehendemus, oratio nostra nubes penetrabit, nec cessabit donec propinquet; & non discedet, donec Altissimus adspiciat, Sir. 35. vers. 21. nani omnia possible sunt credenti, Marc. 9. v. 23.

Largiatur nobis Deus hanc gratiam, per Christum, in Spiritu sancto. Amen.

DOMI.